

Rom VI. 22. Nec Evangelium nostrum silentio præterit hoc ipsum, dum
su^o *exaltatione* promittit *humiliantibus sese*, & verà pœnitentiâ indignitatem,
amagnolcentibus. Similitudo ab afflictis & prostratis sumta est, qui ele-
vari rursus possunt, si manibus opem ferentibus & hâc fini porrectis non
repugnant, sed iisdem sese subjiciunt. Eodem modo iisdemq; subsidiis
Homo Peccator in summis suis angustiis, quas Psalmista Ps. XXXVIII. in-
signiter depingit sublevatur & extollitur per Manus Misericordiæ Divinæ
oto die ad nos expansas juxta Prov. I. 24. Es. LXV, 2. modò, Viribus priùs
ab hâc ipsâ oblati & conlatis, seriâ sese submittat pœnitentiâ ac debitâ
deyotione desiderio & fiducia iisdem adhæreat. Extollitur autem non
modò ad Gratiâ, sed gloriamq; & æternam Beatitudinem. Illâ largio-
ter in hâc vitâ fruimur: Hanc in alterâ exspectamus.

VIII. Quibus præsuppositis præstò nobis est Definitio, sive Rei per
causas cognitio. Illas vidimus hucusq; ; Hujus summa hæc est: *Justificatio*
est Actio Dei, Homini Peccatori, ex merâ gratiâ & misericordiâ, propter Chri-
sti Mediatoris Obedientiam, per solam fidem peccata remittens & justitiâ,
Christi ita imputans, ut Reconciliatus cum DEO æternam tandem vitam ac fe-
licitatem consequatur. Evangelium nostrum pressiore stylo hæc exprimit
& Justificationem per Hominis sese *Humiliantis Exaltationem* describit.
At latior, inquis sensus? Fateor, ita primo intuitu videtur quidem. Ex
præmissis tamen facili manu intra terminos suos contineri potest.

IX. Et tantum de Justificatione, ejusque processu. Effectum sive Consequens
ejus sunt BONA Opera, quorum Studium Justificatio quidem summè Necessarium
& ideo omnibus modis sedulò urgendum ac inculcandum est; attamen in hoc Loco
tractari nec debet nec potest. Subsistimus itaque hac vice, & cum solidâ ac plenâ Au-
gustanæ Confessionis Delaratione, tenemus & statuimus; Quod neque renovatio, ne-
que sanctificatio, Virtutes aut Bona Opera tanquam forma, aut pars, aut causa Justi-
ficationis, aut sub quâlicunq; prætextu, titulo aut nomine Articulo Justificationis tan-
quam ad eam rem necessaria aut pertinentia inmisceri possint. Nec Cautela huic
nostri repugnat Evangelium. Ex professo namque Articulus hic de Justificatio-
ne tractatur ibi sed de bonis Operibus eorumque valore, altum, quod dicitur, est si-
lentium; nisi fortè cum Homileticis ad abitum Publicani respicere velimus, quo Ju-
stificatus descendit in domum suam, non in Telonium, ubi juxta Historicum quendam
antiquū Publicum jus vanum erat, & ~~factus~~ ac rapinæ sine pallio exercebantur. Nova
enim Obedientia ejusque studium, quâ Fides Vera & Viva Operosa esse debet cani-
nam & porcariam insolentiam non amat, nec ad suum ipsius Vomitum lutumve pristi-
num revertere permittit juxta 2. Petr. II. 22. Sed nos manum hoc loco de Tabula!

X Nos Concludimus & Deum Patrem per Jesum Christum *ἰλασθῆριον* Nostrum
Unicum & Sufficientissimum, Ore & corde devoto adoramus, ut Thesaurum hunc
gratiæ suæ preciosissimum adversus omnes Veritatis salvificæ Hostes ac Turbatores sac-
ctum tectumq; tueri & Nos in Fide & Charitate Christianâ, usque ad Vitæ hu-
j β finem & Futuræ Beatitudinem conservare velit, *Ipsi sit Gloria*
in æternum, Amen.

facta